


Stanislas Augustus... Collegium Nobil.



# STANISLAO AUGUSTO POLONIARUM REGI SAPIENTI

*Nobile Collegium Varsaviense Scholarum  
Piarum in Anniversariis  
Literarum Exercitiis.*



Quibus de causis ; Serenissime REX , Nomen Tibi SAPIENTIS consecratum est ; nemo adhuc , quod sciam , ex æquo æstimavit . Magnum quidem illud semper atque divinum , optabile omnibus , datum paucissimis , Tibi uni novo pene jure majoreque amplitudine deberi , diei hujus celebritas cupit indicare .

Vereor enimverò , ne obscurius enunciem , quod eo in Namine latere sentio : duplicem Te AUGUSTE REX obtinere principatum Sapientiæ inquam atque Poloniæ , quorum conjunctio quanto hîs temporibus difficilior , tanto Tibi gloriosior .

Eras AUGUSTE , REX , antequàm dicereris ; prior Te potiore diademate cinxit Sapientia quàm Polonia : dominaberis latissimè suavissimeque , antequam quassatæ Reipublicæ tenuisses gubernacula .

Nacto animum , nacto ingenium & cogitandis , & agendis rebus maximum , totum quidquid rationis , literarum , virtutis , verbô quidquid Sapientiæ venit nomine , Tibi cessit , Tibi obediit , Tibi pene in naturam vertit. Eò Te gloriæ propitium , tandem , Polonis Numen cœlo misit , eò divi Parentes Tui duxerunt , eò labor Tuus adspiravit. Par animo habitaculum finxit natura , ars perfecit. Oculorum vigor , oris gratia , vultus dignitas , Regio latenti animo respondebant. Jam verò illa copiosè loquens Sapiaentia , torrenti non absimilis , omnium ora tenebat , omnium mentes quoquò vellet , rapiebat. Illa sanctitatis , eruditionis , humanitatis sedes perpetua , Divorum Parentum Tuorum domus quidquamne carius aut mirabilius frequentissimæ principum virorum ac fœminarum coronæ proponebat , quàm Te , etiam tacentem , quid dicam de divinis humanisve rebus accutissimè juxta ac prudentissimè disserentem ?

Qualem porrò Te , gravissima illa Provincialium aut Regni Consiliorum sacraria , qualem omnes pene , quas adisti , Europæ imperantium regiæ , qualem celeberrimi hoc sæculo Sapientum cœtus suspexerunt ?

Ea ubique ingenii vastitate , eo eruditionis apparatu , ea prudentiæ dexteritatisque laude , ea morum suavitate , ea eloquentiæ majestate eluxisti ; ut Deo , quàm homini , similior viderere.

Plurimæ quocirca gentes , Sapieniam miratæ Tuam , suum Te esse avidissimè cupiebant : sed nullibi justior ampliorque tantis dotibus campus ad gloriam , quàm in prostrata pene Polonia. Transis itaque à suavissimo pacatissimoque imperio ,

ad

ad regnum dicam, an ad turbas molestissimas, nullâ pene humanâ operâ componendas. Quantô hîc Tibi animô, quanto pectore opus erat, ut eurippum hunc tot monstris horridum alacriter adires, qui adpectu ipso, quemvis alium enecasset. Si olim Patria nostra, non ditiores apud exteros, sed sapientiores Principes domi quævisisset, non obtigisset Tibi adeo fœda atque misera. Externis distenta commodis, animam pene projecerat, fûcoque desuper illita intus putrescebat: liberari à malo, servarique distulit, ut liberatoris servatorisque sui serviret magis gloriæ. Succubuit, ut altius surgeret.

Tandem enim aliquando longis analorum implexa orbibus Polonia, serò licet, nec constanter, sapit tamen. Tuam AUGUSTE Sapiens implorat fidem, Tibi sociandam porrigit dexteram, Tuum in sinum prolabitur. Bene habet, quiescat modo; salva est. Sed prohi dolor! diuturna mali vis, quæ omnes prope membrorum ejus compages resolverat, venasque omnes meliore exhauserat sanguine; rupit ægræ quietem, turbavit mentem. Tum verò illa & interno fera vulnere, & externi cœli irritata injuriis, quid ageret, incerta; nulli fidissimo credere, securissima timere, tentare singula, abjicere universa, queri se, incusare omnia, sævire etiam -- Sed à tam lugubri horrifficaque facie mens atque lingua dicentis refugit, quam Tu tot annis AUGUSTE Sapiens non spectasti modò, sed tractasti etiam, & ut licuit, lenivisti.

Hîc profectò incredibilis illa animi Tui vis eluxit, hîc Regium illud mentis robur desudavit, hîc Jagellonici pectoris firmitudo enituit, hîc Nestorea prudentia omnes se se in orbes

vertit, visaque est: jam obsistere, jam cedere, jubere jam, jam precari, recidere aliqua ad servanda omnia, amica hostilibus præferre, lentè festinare, mala præsentia curare, futuris Patriæ bonis prospicere.

Tuo AUGUSTE REX ingenio, Tua eloquentia opus est ad evolvendam illam cogitationum Tuarum seriem, quæ à sapientia cœpta & per omnes afflictæ Poloniæ fluens atque refluens ordines, in publicam aliquando beatitatem desinet. Divinari liceat, cui hæc adyta inaccessa sunt.

Mitto ea, quæ ad saniolem consiliorum modum, ad veterem Senatûs auctoritatem, ad germanam Equestris ordinis libertatem, ad ærarii publici usum, ad œconomicæ bellicæque rei rationes, ad Justitiam securitatemque omnium jam rescissa, jam assumpta sunt. Subitarium enim hoc & undique aut impeditum, aut interruptum opus, timidorum nimis, ne lividorum dicam, hominum oculos ita afficit, ut quidquid ei de aliena malignitate adhæsit, acutè videant; quod verò altissimo consilio Tuo servandæ institutum est Patriæ, planè non sentiant. Quasi verò diuturna mala sanentur subito, aut non maximæ prudentiæ fortunæque sit, ex confertissimis hostium cuneis minimò, ut fieri poterat, damnò erupisse.

Quis verò tam improbus, tam rudis sit, qui non sentiat planeque videat, firmissimum æternumque Reipublicæ fulcrum à Te substerni, ubi divinas humanasque literas ac cum iis privatas publicasque virtutes, ita animis moribusque civium inspiras ac inseris, ut nullum ignorantæ ac improbitati, veris omnium nostrique Regni pestibus, relinquant locum? Duæ hæc

sapientiæ partes quasi fœcunda semina ab animo ingenioque Tuo per omnes Poloniæ ordines & ætates sparsa , uberes ubique Tuæ gloriæ, & civium saluti fructus pollicentur ; uberrimos in flore Juventutis, quam eâ curâ atque sollicitudine perpetud foves , ut sicubi, hîc certè Sapientissimus Patriæ Parens appellari merearis.

Hoc profecto est sanguinem atque spiritum dare Poloniæ, hoc ægrum istud ac informe corpus reformare , hoc perenni ejus saluti prospicere , pulsîs ab animo Juvenum ignorantia tenebrîs ad verè honesti utilisque ducere rationes. Non est proinde mirandum AUGUSTE REX, quod ad hæc Civium Polonorum cunabula Majestatem demittas Tuam , hîc omnes sumas ponasque delicias hic notes oculîs , quo ordine quis nostrum in animo atque imperio Tuo sit censendus. Æquè enim es magnus , æquè providus in Patrum curia , quàm in Adolescentum corona, in Regni negotiis, quàm pueritiæ disciplinis, in veris certaminibus quam in levibus præludiis ; qui omnem servandæ beatæque Reipublicæ rationem in rectè instituenda Juventute collocasti.

Urges tam magnum ac præclarum opus præsentîâ , perducis ad fastigium beneficiâ , cujus paucos ante hos dies illustre præbuisi argumentum , cùm unum è gremio Collegii hujus , ante proveciores candidatos , magistratu exornaveris. Credidimus olim , nunc etiam videmus , neque Tibi placere posse , nec Reipublicæ corpori honorificentius aptari , quàm vel ipsa spe Sapientiæ.

Quæ cùm ita se habeant , quis est , qui Te AUGUSTE REX non jure optimo compellet SAPIENTEM ? cum nomen

hoc

hoc non ambitiosè quæsiveris, non ab adulatoribus arripueris, sed tot titulis merueris, & ab eruditorum ore modestissimè acceperis; cum non Tute eo compellari jubeas, sed gravissimè beandæ per sapientiam Reipublicæ declares argumentis?

Age ergo Sapientiæ in Polonia Parens! anima hoc spiritu respirans corpus Patriæ: fruire tanti nominis honore, quem Tibi Literæ primùm, deinde restituta sibi Polonia, tandem etiam orbis universus in templo Memoræ æternâ arâ consecrabit.

## EPIGRAMMA

### In aram Sapientis Regis.

*AUGUSTO stetit Ara Deo: procul este profani,  
AUGUSTUM, qui non creditis, esse Deum?  
Sunt homines, Patriæ qui mortua membra dedere;  
Ergo, animam qui dat, non erit ille Deus?*



XVIII. 2. 638





F

XVII.2-638